DE

DEFINITIONE MORBI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXXI. MENS. IULII A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR

JULIUS BUDGE
WETZLARIENSIS.

OPPONENTIBUS:

S. LEVINSTEIN, MED. ET CHIR. DD.
C. F. ROTH, MED. ET CHIR. CAND.
TH. SCHWANN, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

— Wie Alles sich zum Ganzen webt,
Eins in dem Andern wirkt und lebt.

§. 1.

Homo obedit aetati, quae in ejus sententias vim
xercet amplissimam. Perpaucis contingit, ut e compe-
ibus liberentur, quas judicium in saevo quodam prae-
ominans praescribit. Inest revera unicuique aetati
ropria quaedam indoles. Hujus causae magis mi-
usve apparent. Temporis imago non solum e vi-
e communis rationibus, sed etiam e rebus publi-
s nec non e litteris relucet.

Nihilominus tamen de quodam certo argumento
omo arctas cogitandi formas generatim (innumeras
ro varietates) habet, quas excedere nequit, quae
itur omnibus temporibus redibunt, tantum modi-
catae. In omnibus hominis inquisitionibus idea
empe obversatur animo, reducendorum objectuum
l unitatem quandam, qua reperta ipse sibi satis-
ctum esse credit. Si quid igitur aliquis sibi ex-
licare vult, unitatem illam aut in eo, ex quo ena-
atur (conditio, causa), aut in eo, quo tendat (finis,
opus), aut in re per se (essentia) petere potest.

— Huic simplici veritati omnes tam variae sententiae de theoria morbi subjici possunt. Sunt igitur duae rationes observandae in describenda theoria morbi: Primum: definitio morbi ex hominis modo cogitandi (§. 2.); secundum: definitio morbi ex aetatis indole (§. 3.) derivata.

§. 2.

Ad quaestionem, quid sit morbus, vario quidem modo responsum est, sed generatim tantum triplici essentialiter discrepanti. — Quisquis enim de themate illo inquirit, unam tantum harum propositionum sibi facere potest:

1) Quae sit morbi causa.

2) Qui ejus finis.

3) Quid morbus per se — tanquam abstractum aliquid — significet.

Si totam medicinae historiam perspicimus, omnia (primo adspectu tam aliena) systemata ad unam aliamve illarum sententiam reduci posse videmus. Nihilominus tamen magna arena persistit, qua assectatores systematum exerceri possunt. Nam qui varii fines morbo evolvendo affingi? in quot causis morbi consistere? quae opiniones toto coelo discrepantes de essentia morbi afferri possunt?

Studeamus, ut has varietates singulas in quasdam formas universales reducamus:

I. De causa. Haec sita esse potest:

A. In vi externa (i. e. quae etiam in sic dicta inorganica natura regnat), qua corporis partes ita mutantur, ut morbus oriatur.

B. In conditione interna (i. e. quae aegrotantis corpori inest).

Vis externa

1) aut in numinibus visibilibus, sole, luna etc.
2) aut in vi immateriali, in numine uno, aut ex uno redeunte multiplici,

quaerebatur.

Conditio morborum interna iterum duplex est:

1) Quemadmodum in natura, quam vocant anorganicam, vires quaedam, sive numina sive solae, singulae vires putatae fuerint, omnes quas observamus mutationes procreant — sic etiam in corpore humano eaedem vires existunt, modo modificatae, quae sanitatem et morbum provocant.
2) Sita est in organismo ipso, aut una vis tanquam praedominans, aut plures variae vires juxta sese ponuntur.

II. De fine. Simili modo, quo causa duplex esse potest:

A. Externae causae respondet sententia: morbum numinis poenam esse.

B. Internae: morbum certamen naturae propriam salutem propugnantis.

III. De essentia. — Hoc respectu videmus, aut

unum morbosum statum ut praevalentem putatum esse e. g. statum nervosum, inflammatorium, immo unum morborum genus, ut gastroenteritidem

aut

omnes varios morbos juxta sese positos, non ab uno exeuntes. —

Quaeramus nunc de ratione inter finem, caussam et essentiam mutua. — Si apud pueros prima cogitandi vestigia apparent, quem ad finem? multo prius interrogabunt, quam cur? — phaenomenon, quod facile e cogitandi notione explicari potest. — Idem fit in toto hominum genere, si nova directio cogitandi in quodam aevo hominem quasi cogit, gradus evolutionis individualis repetere. — Sed mox humanae menti non amplius sufficit, finem solum scire, sed notionem finis notio caussae necessarie sequitur. — Summus vero cogitandi gradus ille est abstrahendi a praeterito et futuro ideoque ab omnibus rationibus, quibus res inter se cohaerent, et tantum illud observandi, quod per se ei proprium est. —

Haec delineatio ad omnes objectus apta est. Hanc etiam veram existere in morbi definitione, breviter historia probabimus, si antea quidquam de variis aevis dixerimus.

§. 3.

Non abhorret evolutionis directio, quam litterae

accipiunt, a regnante proprio charactere cujusdam aevi. Quare sufficit, si breviter universalem aetatum indolem commemoremus, neque indigebit accommodationis ad medicinam. —

Tempori vetustiori idea praevaluisse mihi videtur: singula negligendi et unitati cuidam subjiciendi — (v. adn. 1); recentiori vero: unitatem in singula dispergendi et in singulis propria quaedam petendi (v. adn. 2). Credo, hoc et in historia universali et in re publica et in philosophia et in omnibus aliis litteris clare ei elucere, qui accuratius illis operam navet. — Has tantum duas periodos, quam maxime generales, statui, quia plures tanta certitudine carent. Sed si quis interroget, quo una finiatur, altera incipiat, accuratum responsum ei dari non potest, quia excultio cujusdam sententiae non uno die, non uno anno, non decennio, vix uno saeculo fit, sed sic sensim sensimque, ut decursus dif-

(1) In aevo antiquo homo pro sua individualitate, pro sua ipsius evolutione multo minus laboravit, quam pro toto. Sibi ipsi homo non vivebat, in se non multa repeciebat, omnia extra se. Naturae leges ad suam characterem transferre studebat.

(2) Homo nunc est quasi sibi redditus, nec amplius se tantum exemplar universae naturae perspicit, sed etiam indita propria excolere studet. Libere cogitare incipit, et antea servus nunc rationem inter se et naturam indagat. In prima parte novi temporis, in sic dicto medio aevo refertur illa ratio hominis ad numen, in altera etiam ad totam naturam i. e. combinationem virium cum materie.

ficile agnoscatur. — In universum autem inter saeculum decimum quintum et sextum finis statui potest, — qua nova sententia inceperit. — In novis opinionibus non semper excultio humani generis sita est, et illis non assentior, qui evolutionem sempiternam existere putant; credo potius, varias directiones humanae mentis juxta (non post) sese esse ponendas et illos eodem modo errare, qui antiquitatem ut summum culmen humanae sapientiae habeant, quam qui in nostris temporibus accumulationem et regnum totius scientiae petant. »Non »oportet, nos adhaerere omnibus, quae audimus et »legimus, sed examinare debemus districtissime sen»tentias majorum, ut addamus, quae iis defuerunt et »corrigamus, quae errata sunt.»

MEDICINA ANTIQUITATIS.

§. 4.

Sicuti omni tempore homo naturalis, qui contemplationes minus sequitur, magis extra se quam in se quaerit, magis igitur se fato devincit, dum fortior sequelam necessariam videt, quo ille sortem; sic etiam tales cogitationes aevo primae humani generis excultionis impressae sunt. His temporibus morbus pro Dei poena putabatur, dum homines ita judicabant: Morbus est injucundum quid, sicut a domino imposita castigatio, morbus ergo idem quod castigatio, a domino exire debet, a quo solo etiam

indulgentia dependere potest. — Hoc e judicio facta quaedam explicari possunt, antiquissimis temporibus solita. — Aegyptii aegrotos in templis Isidis, Serapidis posuerunt, ubi Dii somniis aut per ministros suos i. e. sacerdotes remedia admiserunt. — Apud Hebraeos aegroti impuri habiti sunt, quia eos peccavisse illi crediderunt. Liquet, initio artem sanandi et sacerdotium arcte cohaeruisse, medicos immo Deorum numero adscriptos fuisse. — Graeci Aesculapium suum pro Deo habuerunt. — Remedia praeter caerimonias et pietatem pauca nota fuerunt, quia Dii eorumque ministri omnia sanabant. — Attamen methodum abdomen purgandi cognoverunt sub nomine Syrmaismi.

Pythagoras primus novum limitem iniit; Pythagoras primus hominis naturam cum universali comparat et in illa hujus imaginem invenit, Pythagoras primus philosophiam ad medicinam transtulit.

Hippocrates (456—370), ille magnus speculator venatorque naturae, qui Athenis vivit, quo tempore illustre Periclis ingenium hanc urbem principem litterarum et artium reddere studuit; quo philosophiae cultor Socrates, qui methodum universalibus thesibus dialogos incipiendi et ad singulares eas traducendi sequebatur, — Hippocrates elementa naturae externae ad hominem transtulit et ut illic aquam, aërem, ignem, terram; ergo humida,

sicca, calida, frigida, sic hic mucum, sanguinem, bilem flavam, bilem nigram elementa putavit. Ea regnanti cuidam subjecit τῷ Ἐνορμῷ. — Si Enormon aliter, quam solita ratione agit, quatuor elementa modificantur et corrumpuntur; corruptam massam ejici oportet, — (quasi fermentationis processus). Per tria stadia oritur, ad ejectionem praeparatur et ejicitur morbus, stadium cruditatis, coctionis et criseos.

Post Hippocratem proximi medici plerumque opiniones praejudicatas pro vero acceperunt et in contemplationibus suis naturae leges viderunt. Ideoque non mirum, cur, ut in philosophia Scepticismus, sic in medicina systema empiricum oriretur, secundum quod tantum ea, quae sensibus animadverti poterant, pro vero putabantur et causae proximae inquisitio negligebatur. Experientia iis medicina! Empirici primi morbos descripserunt, sine respectu eorum, quae pervaluit, aut quem finem habent. — Schola eorum superavit per omnia saecula, etsi quibusdam temporibus pauci tantum adsectatores ei adnumerabantur. Haec schola recentem morbi per se considerandi rationem fundavit. —

Sicuti saepissime philosophica quodam tempore dominans schola suas doctrinas in medicinam transfert, sic etiam non est denegandum, in systemate, quod ab Asclepiade Bithyniensi fundatum,

tum a Themisone magis excultum est, in systemate Methodicorum Epicuraismum relucere. — »Omnia in natura fiunt per accidens, finis non indagandus est, atomorum, per se irregularium, copia massam format et universi et singulorum. Si atomi alienati a norma recedentem pororum rationem monstrant, morbus adest. Conamina critica naturae desunt.» Haec principia Asclepiadis. — Themison modificavit, nec mutavit ea. »Strictum, laxum eorumque combinatio sunt formae, quibus massa insita est. Mutatio illorum, causa morborum. Ad morbum curandum strictius oportet fieri laxius et vice versa.» His duabus indicationibus (sive communitatibus, ut ipsi dicebant) tertiam adjecit Thessalus Trallianus, metasyncrysin (— nihil aliud, quam quod nunc appellamus methodum alterantem —), qua tota ratio pororum ad atomos mutaretur. (v. adn. (3). — Quamquam methodici de vi qua-

---

(3) Si dicimus, remedia existere quaedam (e. g. mercurium) talis effectus, ut tota organisatio aliam quasi directionem accipiat et ad novam reactionem cogatur, nonne huic theoriae arrideamus? et si continuamus, quotidianis experientiis nos doceri, eos ipsos morborum heroes, qui quasi vitae radicem corripiunt et arrodunt, illis magnis remediis removeri, nonne credamus, methodum alterantem fere divinam esse? et nonne tantum abest, ut condemnanda ut potius ad coelum tollenda sit? — Sed nihilominus dicere audeo, methodum alterantem in sensu commemorato non existere. Nam, si accipitur, quid sequitur? omnes vitae periculosos morbos et (si liberius confitemur) omnes

dam efficaci universa nescire voluerunt, in sententia tamen, atomos per accidens conjungi, priorem ideam acceperant, ideoque a recentioribus philosophis multum, qui theoriae sic dictae corpusculari favent, — mihi abhorrere videntur.

Athenaeus Attalus primus Stoicismum ad medicinam adhibuit et scholae Pneumaticae funditor fuit, quae pneuma in corpore efficax assumpsit, a quo omnes sanitatis et morbi processus derivavit. Pneuma fuit aër, spiritus. In pneumate illud mox clarius redditum studium mysticismi et vanitas daemonologiae jamjam quodammodo significatum. — Inter Pneumaticos maxime excelluerunt Archigenes, Aretaeus et qui omnes ingenio superavit Galenus (131 p. Ch. n. — circa 200). Hic meliorem pneumaticae doctrinae partem cognovit et quasi ad systema Hippocratis reduxit, quem omnibus aliis praefert. Galenus universales naturae vires in corpore efficaces habuit, attrahentes, mutantes, expellentes, cohibentes et tres corporis fun-

---

quos accurate non perspicimus, illis alterantibus remediis curari? omnes dyscrasias mercurio cedere oportere? Sed proh dolor! cur obstant dyscrasia carcinomatosa et scorbutica? quae certo absunt, si hydrargyrum prodest. — Credo equidem potius, non quia organisationem novam provocat, mercurium syphiliden, scrophulosin etc. curare, sed quia eodem (adhuc non clare probato) modo, sicut forsitan in inflammatione detractio sanguinis etc. se efficacem praebet.

ctiones: generationem, reproductionem, incrementum. Morbus est secundum Galenum status functionum laesarum aut in partibus singularibus aut in organis. — Si sanguis alienatus est, inflammatio phlegmonodes s. pura oritur, si mucus infl. phlegmatodes, aut febris intermittens quotidiana bilis flava infl. crysipelatosa aut febris intermittens tertiana bilis nigra scirrhus aut febris intermittens quartana etc. etc.

§. 5.

Si medicinae historiam usque ad Galenum perlustramus, praeter universalem, quae antiquitati est communis, indolem, alium etiam in hac prima periodo, quae cum Galeno finitur, proprium characterem videmus, praevalentiam materialismi et eorum, quae sub sensus cadunt. — Nunc periodus consideranda est, cujus vestigia jam in schola pneumatica apparuerunt, qua daemones ubique adsentes, qua omnia quae extra hominem inque eo fiebant, ab illis orta credebantur, qua igitur mysticismus excultionis culmen accepit. — Daemonum existentia atque nomina e libris sacris probabantur, cum singulis abruptis litteris sensus, quem quis vellet, subjiceretur. Kabbalah (v. adn. (4) est nomen illarum argutiarum, a Judaeis in exilio excultarum, ab Arabibus praecipue ad medicinam translata-

(4) Kabbalah originem primam a systemate religioso Zoroasteri ducere, hoc probare est historiographi.

rum, quae innumeras tantas calamitates medicinae tulerunt, ne magis excoleretur, quae per saecula humanam mentem catenis constrinxerunt, cum studium veri indagandi negligeretur. — Idea theocratiae et cum ea conjuncta notio sanctitatis populi, phantasia orientalium, cruciatus sempiterni propter fidem, facile amorem occulti et clandestini et mystici apud Judaeos provocaverunt. — Doctrinae cabbalisticae vero maximum ad medicinam influxum praebuerunt, cum Arabes non solum civitatum sed etiam litterarum regnum perdiu tenuissent, Arabes, qui illiberali fide sua, rationis propriae usum cohibente, ad superstitionem jamjam perducti sunt, quorum phantasia effusa poetica et commenta quaerebat.

»Unitas diffinditur in duas partes, lucem et tenebras, bonum et malum; ex unaquaque daemones oriuntur, mundi formantur, quorum unus est imago alius: quod in uno apparet, in alio praedestinatum est. Etiam hominis vita in asteribus praescriptum est, in sideribus est causa sanitatis, morbi et mortis, quibus omnibus processibus daemones praestant. Regnum siderum et angelorum ei notum esse debet, qui e terrae compedibus sese elevare vult. Qui cupidinibus et sensibus humanis maxime contraagit, ad illam intelligentiam appropinquatur, quae in libris sacris recondita est et saepe verbis (ut videtur) minimi momenti adjuncta. Nam sic animus, qui

aetheri est similis, daemonibus e numine emanantibus affinis redditur. Curatio morborum non aliis remediis, nisi verbis sacris, amuletis et (praecipue a primis Christianorum sectis adhibitis) Abraxas-Gemmis, fieri potest.« Etc. Etc.

Haec principia praedominantia in medicina remanserunt. Quam morbi theoriam provocaverint, facile intellectu est. — Totam hanc periodum somni humanae mentis, mysticismi et frustranearum speculationum silentio praeteream. Lucra enim, quae litterae nostrae ex illis aevis duxerint, sunt perpauca; maxime praecipua in chemia. Sed hoc dignum est, quod doleamus, quod ingenia Rhazis, Abul Kasem, Avicennae, Averrhois influxui temporis paulum resistere potuerunt. — Expeditiones sacrae (Kreuzzüge), quibus certo nimis magna pro litteris commoda attribuuntur (cf. Herders Ideen etc.) et schola salernitana non multum attulerunt, ad tenebras dissipandas. —

Denique caussae, quae in rebus publicis revolutionem magnam praeparaverunt et jamjam saeculo decimo tertio apparere inceperunt, eaedem sunt evolutionis novae litterarum.

MEDICINA NOVA.

§. 6.

In medicinae novae historia duas etiam perio-

dos discernere possumus, inde a Paracelso usque ad Hallerum et tum ab Hallero ad novissima tempora. Ut secunda periodus antiquae medicinae transitum praebet ad novam, sic hujus prima est quasi complexus doctrinarum mysticarum, ab Arabibus derivatarum, et novae medicinae supra commemoratae sententiae. Hunc complexum qui maxime monstrat, est notus ille Theophrastus Paracelsus (1494 — 1541).

Studium systematis Paracelsiani in eo situm esse mihi videtur, ut universas naturae leges in singulis etiam phaenomenis demonstraret, multiplex ad supremam naturae legem reduceret. Sed in fanatico homine et in mystico aevo aliter haec imago est formata. In quaque hominis parte, in quaque functione omnes alias repetitas vidit. Ubique ventriculus erat. Et ut in homine omnia similia fuerunt, sic in universa natura. Quae homini propria sunt, haec etiam naturae convenire voluit. Lapides, mineralia etc. ventriculo, reproductione, incremento etc. praeditos habuit. Rationem inter externam corporum formam et eorum influxum ad alios sumpsit, sic e costis plantae ejus efficaciam derivavit. — Haec sufficiant de Paracelsi systemate; cum facile non recte de eo judicetur, si specialis enarratio non refertur, quae pro spatio hujus libelli non apta esset. Ideo relegamus ad Ill. Sprengelii librum satis notum de historia medicinae (tom. 3.). —

Post Paracelsum duas (memoratas) directiones, quas apud illum invenimus, nunc discretas apud singulos videmus et partim mysticismum summum culmen assequi, partim sententiam in aetate praevalentem magis magisque excoli, quamquam omnia, quae tum fuerunt systemata, superstitione non libera erant. —

Principem fanaticorum commemoro istum Fludd (1574 — 1637), ex ordine eorum, qui sibi nomen dederunt: Rosenkreuzer. Daemones sunt ii auctores morborum, morbus poena Dei (v. adn. 5.) Magis in libris sacris versatus est, magis illas nugas Kabbalisticas et ecclesiae patres cognoverat, quam qui non aberraret, et tantum propter aberrationem hanc humanae mentis dignus est, qui memoretur; nam emolumenti nihil mehercle scientia trahit, nisi taedium talium systematum ad verum indagandum magis excitat. —

Sed vox fanaticorum non sic fortis erat, ut melioris sensus suppressus fuerit. Quamquam per

---

(5) Pro exemplo definitiones quasdam morbi refero, quarum copiam nimiam in ejus scriptis invenies: „Morbus est malum, seu angustia, quae homini peccanti ob faciei Jehovae absentiam et occultationem advenit." —
„Morbus est meteorum ventosum vel ex ventosis compactum maligniter adversus sanitatem tam animi peccatoris quam corporis animatum." — „Morbus est plaga, quam malevolens Jehova in cor inobedientis per percussorem sive malum angelum immittit." —

omnia sequentia tempora (etiam nostra) superstitio, daemonologia et mysticismus e litterarum regno non evanuerunt, nihilominus illorum vis fracta est, et gaudeamus, quod veritatis veneratores magis magisque numero aucti sunt. —

Helmontius (1577 — 1644) primus comparationem hominis cum asteribus et mundo vituperat et corpori ipsi inesse vires, similes naturae viribus, sumit. Helmontii Archaeus non est ille Paracelsi; nam si pro vocabulo Archaei vim vitalem ponis, si somnium de ejus sede in ventriculo abducis, mehercle nil ridiculi in hoc systemate video. Archaeus Helmontii non fuit imago Dei, ut Ἐνορμον Hippocrati, sed vis »quae corporeo amictu vestita,« erat. Ideam, quae ex Archaeo abstrahi potest, de hominis viribus in corpore ipso sitis Helmontio ipsi non clarissimam fuisse, praecipue tali aevo, libenter concedo, sed nonne idem de omnibus sententiis novis est? Opinio Helmontii, instituta mundi non esse transferenda ad hominem, sed huic inesse vires, post eum magis exculta est; et exploratum est, quomodo vires chemicae, mechanicae aut dynamicae in corpore humano ipso sumi possint. Hoc modo tres praeclarae scholae ortae sunt:

1) Jatrochemica, quam Franciscus Sylvius (1614 — 1672) fundavit. Omnes vitae processus fermentatione et praecipitatione explicat. Quia illa regula chemica: corpora nisi soluta non

agunt, ad processus vitales erat adhibita, humores multo magis praevalentes habiti sunt quam partes solidae, quae fere nihil erant, nisi materies mortua. — Multa absurda in Sylvii systemate invenimus e. g. lac est sanguis cum acido, quod ruborem tollit; sensibilitas ex cerebro in singulas partes transgreditur, sicut alcohol destillatur etc. Definitio morbi e systematis principiis facile deduci potest. Si humores acres sunt, aut acidi aut kalini, corpus aegrotat. Morbus est igitur acrimonia humorum. — Plurimi morbi ex acido orti erant, minimi (febres malignae) ad secundum ordinem pertinuerunt. — Secundum haec principia therapia etiam constituta erat, aut adfuit indicatio antacida aut antikalina.

2) Jatromechanica et jatromathematica, quam Alfonsius Borelli (1608 — 1679) fundavit. Physicali et mathematica accuratione omnes functiones explicare studuit et leges mechanicas in corpore humano efficaces indagavit. Sic musculorum vim cum potentia vectis comparavit, simulque vero impedimenta illa multa docuit, quae musculis, si secundum leges vectis moventur, superanda essent, et indirecte igitur non procul ab idea fuit, propria vi musculos moveri oportere. — Ut in mathematicis litteris nihil pro vero habetur, nisi experimentis probari potest, sic etiam hac regula Jatromathematici ad tot mentis phantasmata nunquam reducti sunt, ut alii medici priores. —

Joannes Bernoulli (1667 — 1749), ille celeberrimus medicus et mathematicus, difficillimis analyticis rationibus motus musculorum et vicissitudinem materiei exponit. Ab hac vicissitudine hominis sensus et motus non dependere, ex eo sequi, quod per vitam saepe materies tota mutaretur. — Jacobus Reil (1673 — 1719) Newtonianas attractionis leges ad functiones vitae declarandas adhibuit et demonstravit, secundam has leges vim cordis in sanguine depellendo non esse tantam, quantam Borelli et alii credidissent. Reil igitur etiam indirecte existentiam vitalium virium probavit. — Haec igitur schola quasi fundamentum perspici potest sententiae Hallerianae (v. §. 7.).

Quot vero commoda praeterea medicinae ex hac schola (cujus assectatores celeberrimi fuerunt praeter nominatos Baglivius, Boerhaave, Fridericus Hoffmann, B. de Moor etc.) fuerint, hoc jamjam e scriptis Borelli (de motu) et Dodartii atque Ferreinii (de voce) elucet, satis notis. —

3) Dynamica, quam G. E. Stahl (1660 — 1734) fundavit. Ab anima dominante omnes processus sani et aegroti corporis derivantur. Sententiae hujus systematis magis minusve cum illis Helmontii communicari possunt. —

Stahlii aequalis illustris fuit Fr. Hoffmann, (1660 — 1742), qui ut Boerhaave (1668 — 1738)

et Sauvages (1706 — 1767), mechanicum systema cum dynamico conjunxit. Hoffmann omnes functiones, omnes morbos a motu derivat. Motus origo est anima sensitiva i. e. fluidum aethereum. Morbi sunt vitia motus; spasmus adest aut atonia. Febres, icterus etc. nil nisi spasmi. —

§. 7.

Albrecht de Haller (1708 — 1777), ingenio raro praeditus, est fundator nostrae medicinae appellandus. Hic clarissimus vir, magnus anatomus, physiologus, botanicus, medicus, poëta atque politicus de omnibus quidem medicinae partibus bene meruit, praecipue vero de physiologia. Superfluum est et libello non aptum, omnia enarrare, quae Hallerus invenerat, repetierat, descripserat; illam doctrinam tantum commemorabo, quae ad omnem medicinam influxus maximos praebuerat, dico doctrinam de musculorum irritabilitate, tanquam vi maxime propria et ab omnibus aliis adhuc notis differente, neque quadam electrica, nec mechanica, nec physica, sed propria organica. Experimentis multis, nullo modo denegandis, existentiam illius probavit. — Quam multa initio contradicta erant, veritas vicit.

Errabit tamen is, qui hanc Halleri doctrinam plane novam, prius nunquam cogitatam crederet, qui potius non solum in temporis totius indole si-

tam, sed etiam a prioribus auctoribus acceptam fuisse, non intelligeret! Modus res singulatim scrutandi, in toto aevo apparet, etiam e systematibus philosophicis e. g. Leibnitzii relucet, exinde ad corpus humanum primum a Glissonio adhibitus, denique ab Hallero clare edictus et probatus est. — Indirecto modo illam sententiam plures antea suspicati sunt (v. §. 6) et rudimenta Glissonius condidit, etsi nimis religiosis favet. (Sed hoc tempori indulgeamus!). — Nihilominus vero ad certitudinem hanc nemo ante Hallerum doctrinam produxit et ei locus, quem medicina nunc tenet, praecipue est debendus. —

Indagemus nunc doctrinae sequelas pro litteris medicis et praecipue pro theoria morbi, quae etiam hoc aevo e tribus saepe commemoratis fontibus hausta est. —

§. 8.

Ut in omnibus saeculis, quae fuerunt et erunt, nunquam systematum inopia adest, sic etiam in decimo octavo et nono, aliud potius systema alius vestigia legebat. Tempus rarum! quo juxta ingenia illustrissima simulatores absurdissimi pietatis, quo juxta gloriam et decus humanae mentis simulacra imperitiae, captatio verborum, veneratio mysticorum praesto fuerunt, quo hic litterae culmen giganteum adspiciunt et illic fere multo profundius

dilabuntur, quam ante millia annorum. Aequalis Halleri fuit Franciscus Parisiensis, qui in sepulcris vagans, auxilium petentibus afflatum furoris inferre atque convulsiones procreare studuit — me hercle! epidemia amentiae et spontanearum convulsionum, admonens flagellantium istorum —; aequalis etiam Gaſsnerus, qui de possessionibus, obsessionibus et circumsessionibus diaboli garriens, in iis fontem et finem morborum vidit. Sed, proh dolor! non unici fuerunt, venenum illud occulte labens progressum est et non raro clarae luci nostrae doctrinae obnubilationes opposuit, studium veritatis turbavit. — Nihilominus vero theoria Halleriana optimas sequelas accepit. —

§. 9.

Halleri argumenta de vi irritabilitatis modo indirecto ad nova duo universalia themata viam aperuerunt, quae medicinae nostri aevi tanquam fundamenta existunt.

1) Vires organicas proprias existere.

2) Vim a materie non esse sejungendam.

1) Vires organicae sunt propriae et eaedem non existunt in (sic dicta) natura universa.

Hallerus jamjam docuit, neque electricam, neque vires attractivas et propulsivas, nec ullas alias aequales esse irritabilitati. Mox non tantum irritabilitatem, sed etiam alias organicas vires exi-

stere intelligerunt, quarum differentiae a (sic dictis) anorganicis demonstrandae essent. Nunc non amplius a vi externa vita definita est, sed a viribus internis. Principio tantum vita ab una alterave vi est derivata, et eodem modo morbus singulis viribus e. g. sensibilitati (Nerventheorie) subjectus est. — Haec systemata eandem vituperationem prae se ferunt, quam omnia, uno tantum praesumpto (mox labefactando) fundamento sustenta. Nihilominus litteris non nocuerunt, quia ad singulas vires magis declarandas multum profuerunt.

Ut in sano homine singulae vires accuratius consideratae sunt, sic etiam mox eadem indagandi ratio ad statum morbosum translata est. — Inceperunt morbos singulos etiam per se ut abstractum explorare, eorum propria phaenomena, decursum, rationem mutuam inter se, modificationem ejusdem generis morbi sede varia aut variis aetatibus ortam indagare; recesserunt a sententia, easdem caussas eosdem morbos procreare aut morbos secundum causas dignosci debere, aut morbum quemdam alium esse, si in infante aut adulto, femina aut viro, genu aut oculo etc. apparere; cognoverunt potius, morbum propria sua in omnibus, quas habet, sedibus, aetatibus etc. tantum modificare, nunquam mutare. — Definitio morbi, his judiciis orta, est secundum Cel. Stark: Krankheit besteht in der Combination generisch verschiedner ihre Existenz gegenseitig

beschränkender individueller Lebensprozesse in Einem Individuum. (v. adn. 6). —

2) Vis a materie sejungi non potest.

Hoc judicium etiam ex Halleri doctrina de irritabilitate sequitur. Nullibi enim illa vis existit sine fibra musculari et musculus vivus esse non potest sine irritabilitate. — In humana cogitatione vim tantum sejunctam credere posses, non vero in natura. — Quod Hallerus de irritabilitate dixerat, de aliis viribus mox cognitum est et Cel. Blumenbach in unaquaque parte propriam vim merito putat (Inst. phys. §. 41 sq.), nihil aliud igitur, quam: omnia viva causam existentiae secum et in se portare. — Quia igitur vires, si apparent, non aliter quam materie apparere possunt, ponimus, nullum existere morbum virium, cujus materies particeps non esset. Et si illud propositum, quod secundum humanas rerum scientias (quatenus nunc sunt)] denegari non potest, verum est, Cel. Reil multo jure contendit, omnes morbos cum mutationibus materialibus conjunctos esse oportere et si etiam eas nunc nondum cognoscamus, hoc non absentiam, sed melioris indagationis inscientiam probare. — Hac Reilii sententia praecipue duae medicinae doctri-

---

(6) Modum, quo Cel. Starkius hanc sententiam tractat, mihi non probabilem videri, lector, qui pathologica fragmenta Starkii accuratius perlegerit, infra inveniet.

nae magis excultae sunt, anatomia pathologica et (sic dicta) materia medica, quarum vero haec post illam multum remansit et cum illius progressibus suos metiri non potest. — Avertebantur medici a sola contemplatione, quae per tot saecula tantos errores accumulaverat et ad observandam naturam perducti sunt. Abhorruerunt ab arte Paracelsi, quae »nihil aliud fuit, quam vocabulorum artis cu»jusvis massa et acervus ad hoc, ut qui voces artis »habent in promtu, etiam artes ipsas perdidicisse »existimentur.» — (cf. illud notum Goethianum.)

Orta sunt systemata quaedam, quibus materia medica praecipue est basis, quae forsitan modum excesserunt, sed nihilominus multa vera in se habent, dico Homoeopathiae et Contrastimuli doctrinam. Argumenta pathologica horum systematum plerumque e prioribus auctoribus ducta sunt, ut thesin Hahnemannii: Similia similibus curari, quanquam non sic clare nec iisdem verbis, jamjam Cardanus edixerat; ut doctrina Rasorii de stimulis et contrastimulis est tantum modificata Brownii. — Dosium ratio contraria in his systematibus, illic nanae hic gigantes (v. adn. 7). Quia vero experimenta, sine ira et studio, adhuc desunt,

---

(7) Accuratior horum systematum descriptio huc non pertinet, comparetur Richteri therap. tom. 10, quo etiam alii auctores citati sunt.

mne judicium a ratione ductum a nobis absit. 'laudicat. Experimenta tantum affirmant aut negant. — Semper ad explorandum morbum ejusque roprietates non sine emolumento haec erint systenata.

§. 10.

Cum supra dixerimus, morbum esse propriam iltam (ergo nihil aliud, quam organismum prorium), thesin proponamus, num processui morbo-um essentialia organismorum phaenomena sint, ecne?

Omnibus organismis haec communia, propria t essentialia esse videntur.

Definitio:

Organismus est corpus e pluribus sibi dis-imilibus partibus compositum, quod mutationibus uibusdam subjectum est, ad quas provocandas una-uaeque pars vi ei insita sua confert, — et quod um alio organismo in tali ratione est, ut illius xistentia sine hoc consistere non possit.

Normae singulae:

1) Omnes organismi proprium decursum ha-ent, i. e. non semper eundem, quem habuerunt, tatum omnibus temporibus tenent.

2) Omnes organismi sui tuendi studium prae-ent.

3) Omnes organismi e singulis partibus con-

stituuntur, quae cum idea totius in quadam ratione esse videntur.

4) Omnes organismi aliis insident et in processibus cum iis alterius organismi similitudinem praebent. Nunquam vero omnes processus in organismo unius seriei reperiuntur, qui in quodam alius consistunt.

Credo, si illorum tantum, quos nunc solos organismos vocamus, rationem habemus, nobis tamen esse concedendum, memorata phaenomena organismorum sola esse essentialia. Si vero notionem illam sumimus, equidem non video, cur idem nomen non aliis corporibus sit attribuendum, si eadem phaenomena adsint idque tantum obstet, quod adhibere adhuc insoliti sumus.

Numero igitur inter organismos:

1) Solem atque stellas fixas (v. adn. 8).

---

(8) Hujus organismorum seriei rationem quandam cum aliis mundi corporibus superioribus probare, nondum quidem contigit, sed existentia verisimillima est. — Sic etiam nondum deorsum quam ad morbum venimus. Nam si pathologi quidam de morbis morborum, imo de morbis morborum morborum loquuntur, haec sunt somnia, quae non solum litteris nil prosunt, sed etiam ab inaccurata consideratione exeunt. Nam varietates morborum, quas illi morbos morborum appellant, nihil novi et varii formant, sed cuique organismo tales varietates propriae sunt, ejusque studium indicant, latissime manandi et suae libertatis probandae; contrarium mehercle! quod morbis morborum significare voluerunt.

2) Terram atque planetas.

3) Hominem, animalia, plantas.

4) Morbum.

Quia de tribus primum nominatis organismis oc probare, non est hujus loci, de morbo tantum uidquam addamus. —

Solis existentia pro terra simili modo necessaa est, quam terrae pro homine, animalibus et lantis, quam hominis (nam de eo hic praecipue quimur) pro morbo. Non absurdum igitur videtur, si solem respectu terrae, terram respectu hoinis, animalium et plantarum, hominem respectu orbi organismos matrices (Urorganismen), vice ersa morbum, hominem, terram organismos secunarios appellem.

Si quis a terra avulsum se cogitare posset, tum uno adspectu e. g. omnem plantarem orgasmum circumspiceret, nonne prius indagare vellet, r hoc terrae loco haec, illo illa planta sese evolret, quam plantam per se cognoscere? aut si uno spectu totum humanum genus circumspiceret, nne homo, qui a terra remotus est, tantum cogiii et abstracti quid appareret? — Sed talibus ulis morbum videmus. Quia facilius hunc pericere possumus, forsitan plures insulsum comntum habebunt, si morbum organismum appellas. — Sed revera non unum phaenomenon ornismorum morbo deest.

1) Morbus decursum constitutum habet, id quod omnibus pathologis in confesso est.

2) Morbus contra organismum matricem i. e. organismum hominis sese vindicare studet. In hoc quibusdam pathologis assentiri debemus, qui dicunt, aut naturam vincere aut morbum, si illum, sanitatem, si hunc mortem sequi (v. adn. 9.).

3) Sicuti omnes organismi, sic etiam morbus, nunquam ex una constituente parte (apud morbum symptomate dicta) consistit. Fuerunt et sunt quidam medici, qui unum tantum symptoma pro morbo putant et hoc respicientes morbum non vident. Quantum exinde sit damni medicinae practicae, est facile intellectu et innumera exempla pro argumento commemorari possunt: e. g. Pterygium. Si medicus in pterygio nihil videt, quam plicam

(9) Hoc non plane verum est, nam si mors intrat, tum etiam morbus evanescit, quia morbus humano organismo affixus est et sine hoc non existere potest. — Similis ratio, ut inter morbum et hominem hoc respectu adest, forsitan inter animalia plantasque et terram demonstrari potest. Si persuasum nobis habere possumus, prius aliam terram exstitisse et si etiam scimus alia animalia et plantas fuisse, nobis etiam similitudo mortis credenda est. — Haec ad aliam contemplationem ducit. Verisimile est, non tantum organismum matricem secundario esse necessarium, sed persaepe matrix sine secundario non permanere potest. Non raro videmus, hominem mori, morboso statu quodam remoto, e. g. tumore cystico, neutiquam prius febre et affectionibus nervosis ortis; pro argumento, hunc morbosum statum humano organismo affinem redditum fuisse.

conjunctivae, quae a nasali oculi angulo exit etc., semper incidat et secet, rarissime sanabit et cur? quia conjuncta alia symptomata et quidem abdominalia neglexit.

Ergo sequitur, arcto sensu pathognomonicum symptoma existere non posse. Si totum morborum ordinem comparamus, non unus est, qui ex uno tantum symptomate constitueretur. Historia medicinae etiam docet, illos errasse, qui unum symptoma tantum respexerunt, e. g. dolorem tactu auctum in inflammatione. — Nonne ridiculum esset, si plantae radicem aut folium pro planta haberemus?

4) Morbi denique similes processus cum aliis organismis praebent, sed nunquam similitudo morbi totius cum formatione alius organismi existit; nullus morbus est, cujus omnia symptomata in alio organismo ut regulares normae reperiuntur, tantum singula symptomata. — Haec mea opinio non est praejudicata; potius contrariae ipse eram addictus, cum vero multa collecta exempla mihi demonstrassent, me errare, commemoratam nunc pro vero habeo. — Referam quaedam exempla:

Calor mordax. Sensus urticarum, si palpi Holothuriarum attrectantur.

Rigiditas spastica in tetano. Rigiditas voluntaria apud Anguem fragilem gradu tanto, ut plaga leni dirumpatur.

Mobilitas ossium in rhachitide. Inflexio pedum apud Himantopum atropterum.

Concretio capillorum in plica polonica. Implicatio byssi Mytili edulis.

Planities oculi presbyopum. Planus oculus piscium.

Sanguinis qualitas externa in Chlorosi. Sanguis coeruleo-ruber molluscorum.

Appetitus immodicus veneris in Satyriasi. Cupido nimia aranearum ad feminas.

Intestina abdominis extrusa in herniis. Prolapsus majoris intestinorum partis in testam in molluscis Gasteropodibus.

Secretio nimiae copiae acidi urici in Lythiasi. Secretio urinae, concretioni similis, quae maxime acidum uricum continet, apud aves et quaedam amphibia.

Secretio sudoris nimii foetidi ad digitos pedum. Secretio tenax, foetidus, ad digitos pedum Geckonis.

Suggestio aëris sub cute in emphysemate. Existentia aëris inter cutem et musculos apud Nycterin (secundum Geoffroy Ann. du Mus. d'Hist. natur. T. XX.p. 15.).

Vomitus stercoreus in ileo. Excretio alvi apud Actinias et Asterias, quae uno ostio pro ore et ano utuntur.

Exostosis. Excrescentia rostri apud Bucephalon Rhinoceron.

Collectio fluidi in peritonaeo apud hydropem Ascitem. Introitus aquae in abdomen apud Aphroditen aculeatam, et genera piscium: Rajam et Squalum.

Symptomata quaedam pneumoniae. Apud aves (praecipue raptatores) major calor sanguinis, frequentior respiratio, impressio pulmonum ad costas (v. adn. 10.).

Affectio morbosa in uno tantum latere corporis e. g. Zona, Hemiplegia etc. Formatio plantarium partium in uno latere e. g. Calix dimidiatus.

Forma pustularum herpeticarum. Forma lichenum (petiolus, scutellum).

Periodus quotidiana febris intermittentis quotidianae. Periodica circumvolutio terrae circa solem.

Haec sufficiant pro hoc libello. Similitudines statuum morbosorum cum primis hominis formationibus, et similitudinem quoad generationem (aut per seminium aut aequivocam) praetereo, quia saepe iae sunt alias enarratae. — E commemoratis vero lucebit, similitudinem tantum singulorum symptomatum non totius morbi cum alio organismo constitui posse. — Num omnes morbi similitudines

---

(10) Plerumque pulmones ad costas impressi reperiuntur apud hos, qui in stadio acmes pneumoniae moriuntur; et certo immerito Laennec hoc negat. —

cum aliis organismis praebeant, necne, adhuc certo dicere nolo. Id, quod simplices inquisitiones me docuerunt, non omnes morbos similes esse aliis organismis nec etiam ad certas familias has similitudines reduci posse probavit. — Haec autem lex forsitan contendi potest, morbosum processum eo minus corpori humano nocere, quo major similitudo cum formatione aliorum organismorum ei insit. Tali modo etiam explicari potest, cur helminthiasis in universum homini non tanta damna afferat, quanta aliquis primo adspectu credat, et quanta vermibus medici priores adfinxerunt (cf. Wichmann Ideen zur Diagnost.); cum leges formationis vermium in universum congruant cum legibus formationis animalium aliorum.

Commemorata morborum comparatio cum aliis organismis supra dictam sententiam probabit. Nunc etiam non superfluum erit, emolumenta breviter enarrare, quae haec sententia doctrinae medicae afferat.

§. 11.

Princeps lucrum, quod ex illa sententia medicina practica facit, est condemnatio hypothesium. Cum tantum ea pro vero putemus, quae visu, auditu, olfactu, gustu et tactu percipimus, et vanitates non curemus, quas phantasia procreat, aberra-

tionibus procul manebimus. Et illud in hac theoria petitur. —

Essentia morborum singulorum non in uno statu, non in uno sic dicto pathognomonico symptomate, sed in syndromo symptomatum quaeritur. E. g. Hernia est procidentia intestinorum in cutem ex cavo, qua cutis irregulari modo dilatatur. Nullo alio modo igitur radicaliter sanari potest, nisi intestina reducis et dilatationem cutis circumsuis et arcte circumplecteris. Haec demonstratio maxime verisimilis esse videtur. Sed quid? Ex centum ita curatis vix unus radicaliter sanabatur. Non mirum ei, qui non solum in intestinis sed praecipue etiam in cute herniarum caussam sitam esse intelligit. — Dum igitur priores studuerunt, ad unum statum omnia reducere, nunc cognoverunt, hoc naturae non aptum esse, et indagandi, quae symptomata morbo cuidam in omnibus speciebus, omnibus locis, omnibus aetatibus semper propria sint, quae tantum sub certis conditionibus, praecipuam esse quaestionem. — Occurrere quidem potest, hoc tantum esse sufficiens, si etiam de mutationibus organismi, quibus intrantibus morbus oriretur, quaeramus. Mehercle non negandum! Quantum emolumentum pro doctrina, si tali quaestioni esset responsum! Sed adhuc in quo constat hoc responsum? In ipsis, quibus ante bina millia annorum — hypothesibus. E. g. Credunt permulti auctores, hydropis essentiam esse

iis notam, si dicunt, aut exhalationem auctam aut inhalationem diminutam esse. Et cur credunt? Quia explicationem aliam dare non possunt. Sed quo modo huic theoriae consentaneum est, quod illa ipsa remedia, exhalationi maxime accommodata, dico mercurialia in plerisque casibus magis nocent, quam prosunt. Sed forsitan Digitalis, magnum remedium antihydropicum, resorbet. Digitalin vero magis secretionem urinariam augere et hoc modo prodesse, experientia docet, quod etiam sudoriferis et laxantibus remediis in aliis casibus hydropsiae removere possunt. Praeterea digitalis et in sano homine, in quo nihil est resorbendum, urinae secretionem quam maxime auget. —

Aliud emolumentum, quod de illa theoria morbi doctrina duxit, est observatio de ratione morborum inter se, adhuc non satis respecta. Morbi quidam sese attrahunt e. g. rheumatismus acutus et exanthema miliare, si unus horum morbus adest, alter facile accedit. Alii sese repellunt e. g. status nervosus vel potius putridus et syphilis (v. adn. 11.); typhus aut syphiliticos transsilit et tunc remanet syphilis aut priusquam typhus apparet, ulcera sy-

(11) Si igitur talis status provocatur aut acutus febre nervosa, aut chronicus dyscrasia interna, mercurio, inedia, laxantibus, syphilis desinit. Hi status sunt caussae saepe orientis gangraenae, nec vero gangraena tollit syphilidem. Nam si gangraena arte provocatur in corpore ceterum sano, lues non deleta est.

philitica gangraena delentur. — Forsitan etiam ratio inter comam et delirium tremens hic adnumerari potest. — Alii morbi etiam juxta sese existere nequeunt, sed ita se delent, ut de nullo quidquam restet. — Hae rationes sunt etiam aliis organismis propriae.

§. 12.

Postquam systemata, quae maximi momenti sunt ad varias sententias de morbo cognoscendas, respeximus, nunc interrogare restat, quid sit morbus? Responsum non aliud esse potest, ac de definitione cujusque doctrinae physicae. Variae nempe rationes simul sunt observandae. Respectu organismi matricis est morbus: ea mutatio corporis cujusdam, qua status provocatur, qui sanitati, individuo consentaneae, non congruit. — Quoad finem morbus in se phaenomena includit, quae sanitati recuperandae anteire debent, ideoque conditionem reconvalescentiae ponunt. — Si denique morbum per se perspicimus, is est proprius organismus (secundarius), alii insertus, qui leges partim plane proprias, partim deductas ab aliis organismis sequitur.

In complexu tantum harum definitionum verum mihi esse videtur et unica non sufficit. — Nunquam finietur certamen quacunque doctrina, si una tantum ejus pars perspicitur, nec omnes. Desinit

tunc demum ille clamor bellicus, quid sit interna rerum caussa, si auctor sententiae non, ut tyrannus, suam unicam beantem putat aliasque non repudiat.— Multas notiones, de quibus adhuc certitudo deest, aliter perspiceremus, si non solum caussae proximae, non solum finis, non solum essentiae, sed omnium simul ratio haberetur. E. g. Pathologi de differentia inter hypertrophiam et pseudorganisationem, quamquam nemo nescit, certum non existere finem, semper cruciantur. Hypertrophia appellatur, si formatio morbosa respectu caussae proximae consideratur, pseudorganisatio si respectu morbi per se.

§. 13.

Si postremum de caussa variorum systematum quaerimus, primum fontem in evolutione variarum cogitandi rationum de uno objectu variis temporibus situm esse intelligemus, sed alius non est praetermittendus, dominans genius epidemicus, qui omnibus morbis characterem imprimit. Si medicus hunc respicit, etiam remedia apta dabit et sanabit; si vero in omnibus casibus, omnibus temporibus, eandem methodum adhiberet, multum erraret, et si systema secundum morborum genium suo tempore praevalentem inveniret, rumorem levitatis non immerito prae se ferret. —

VITA.

Ego Julius Budge Wetzlariensis anno millesimo octingentesimo undecimo natus sum. Judaicam religionem profiteor. Tribus vitae anni vix peractis fors atrox optimum patrem mihi eripuit. Ut excultio mihi fiat accommodata, matris dilectae curae admissum erat. Primis tirociniis imbutus, octavo vitae anno ad gymnasium Wetzlariense adductus, ibique per annos novem versatus, demum anno MDCCCXXVIII universitatis litterariae Marburgensis civibus a Cel. Rehm adscriptus sum. Ibique praelectiones has visitavi:

Historiam universalem et novae aetatis Cel. Rehm, philologicas doctrinas in seminario duce Cel. Wagner, encyclopaediam et methodologiam medicinae Cel. Eichelberg, anatomiam theoreticam et practicam Cel. Buenger, chemiam, pharmaciam, et sic dictam materiam medicam Ill. Wurzer, botanicen universalem et specialem medicam Cel. Wenderoth, zoologiam et physiologiam Cel. Herold, physicen Cel. Gerling, anatomiam pathologicam, semioticen, generalem et specialem pathologiam et therapiam Cel. Heusinger.

Duobus annis et dimidio praeterlapsis per totum semestre domi me remanere morbus jussit et demum anno MDCCCXXXI ad litteras redii et Berolini iis per unum semestre operam dedi. Hic illustrissimi praeceptores Hegel, Horn, Juengken, Kluge logicen, pathologiam, chirurgiam et artem obstetriciam theoreticam ac practicam me docuerunt. Tum etiam praeside decano Cel. Toelken examen subii, quod vocant philosophicum.

Relicta hac musarum sede Herbipoli practicae medicinae partibus maxime deditus sum. Ill. Schoenlein, d'Outrepont, Textor clinicis exercitationibus me adduxerunt.

Postremum Berolinum mense Martio redii, hic etiam clinicas medicas et chirurgicas apud Illustrissimos **Hufeland**, **Osann** et **Busse**, **Bartels**, **Rust**, **Juengken** visito.

Omnibus praeceptoribus meis gratias maximas dico.

Tentaminibus et examine rigoroso perfectis, nunc spero fore, ut, thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi adferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Vis materiei, id quod abstractum concreto.*
2. *In serie (vulgo sic dictorum) organismorum humanus principem locum non tenet.*
3. *Lien systemati sanguinis, id quod vesica fellea bili.*
4. *Inflammatio toto coelo a congestione abhorret.*
5. *Suppuratio et sine inflammatione.*
6. *Remotio capitis removet humanam vitam.*
7. *Gangraena non tollit syphilidem.*
8. *Intumescentia glandulae thyreoideae in plerisque casibus cum alienationibus partium genitalium cohaeret.*
9. *Cretinismus, atrophia infantum, rhachitis sunt species scrophuloseos.*
10. *Regula: post coenam stabis aut mille passus meabis, est falsa.*
11. *Adsentior illi Goethiano:*

    Es ist der Weiber all ihr Weh und Ach
    So tausendfach
    Aus Einem Punkte zu kuriren.